

345

343

349

vesperis reversi sumus ad locum nostrum. De ecclesiolis Graecorum, quae etiam ibi sunt, non curavimus.

339

Quarta decima die, quae fuit dominica 3. adventus Domini, dum disponeremus nos ad officium, audivimus tubae sonum, vocantes nos in classem, et cogitavi diaboli esse opus, qui semper celebribus diebus impedimenta parare solebat in mari. Sic ergo praetermissis omnibus in classem navigavimus; intendebant enim naves educere de portu ad promontorium Sapientiae, quod in mari eminet, ad unum milliare teutonicum ex opposito Metonae, et jam duae galeae extra portum erant eductae, licet cum industria et labore, quia ventus erat nimis magnus, et dum conarentur etiam nostram educere, nihil poterant efficere, de quo in corde laetabar propter Missam dominicalem. Educi nos ergo fecimus ad civitatem et ingressi in conventum Praedicatorum officium audivimus, et ego mansi in prandio cum fratribus. Porro nobis manducantibus obtenebri sunt coeli et coeperunt coruscare fulgura et mugire tonitrua tam gravi sonitu, sicut me numquam audivisse memini; videbatur enim terra moveri et aedificia tremere, nec dubium nobis erat, quin in aliquo propinquuo loco fulmen cecidisset, et vera nostra aestimatio erat; nam ad duas galeas, quae mane eductae fuerant ad Sapientiae promontorium, cecidit et omnes inexistentes prostravit, qui aliquamdiu semivivi jacebant, unum vero penitus extinxit, qui fuit vir honestus, totius classis medicus et chirurgicus, cum quo saepe in insulis de bonis rebus contuli; erat enim intentionis, ut saepe mihi occulte expressit, ingredi carthusiam Venetiis in S. Andrea, sed Deo hoc placuit. In hoc casu accepimus, quod forte Deus illam turbationem istis galeis immisit, quia sine causa officium neglexerant. Post tonitrua et fulgura subsecuta est inundatio magna aquarum, ita, ut per vicos civitatis quasi flumina rapida currenter, de qua inundatione Metnenses plurimum laetabantur, quia omnes eorum cisternae aquis (b) implebantur, steterant enim multis mensibus vacuae, et passi fuerant penuriam aquarum, nec erat in civitate aqua, nisi ea, quam inferebant de cisterna quadam, quae longe a civitate stabat extra, juxta conventum Minorum. In illis enim partibus non sunt flumina nec fontes nec pluviae frequentes: et quando non semel aut bis in anno habent talem tempestatem, tunc maximam patiuntur aquarum penuriam. Dum ergo sedata fuit tempestas, mansi

354

334

394

294

444

244

Ende

Anfang

